



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Pastorale Missionariorvm**

**Verjuys, Jean-Baptiste**

**Antverpiæ, 1682**

17. An in necessitate liceat viaticum accipere ab hæretico denunciato.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41565**

## ARTICULUS XVII.

*Vtrum in necessitate liceat viaticum accipere ab hæretico denunciato ?*

**R**esolutio hujus difficultatis eadem est cum resolutione præcedentis articuli, quia tamen specialia sunt argumenta, specialiter est proponenda, ut illa solvantur.

1. Argumentum est quia *c. si quis dederit* expressè prohibetur communionem accipere ab hæretico.

2. Ex Decreto Victoris III. in Conc. Capuano, ut habetur tomo 3. p. 2. Cone. Generalium fol. 407. Et refert Baron. ad an. 1087. §. 14. ubi dicitur: *Pœnitentia verò & Communio, à nemine nisi à Catholico suscipiatur; Quod si nullus adsit Catholicus Presbyter, retius est sine visibili communione persistere, & invisibiliter Domino communicare, quàm eam ab hæretico sumendo à Deo separari: nulla enim (ait Apostolus) conventio Christi cum Belial, neque pars aliqua fidei cum infideli, omnis autem hæreticus infidelis est. Eadem ad eundem annum habet Spondanus.*

3. Ex argumento *sed contra* S. Thomæ 3. p. 82. a. 9. ubi ex S. Gregor. lib 3. Dialog. c. 31. de S. Hermenegildo refert, *Quoddam Pater perfidus Arianum Episcopum misit ad filium, ut*

Q5

de

## 364 TRACTATUS VIII.

*de ejus manu sacrilega consecrationis communionem perciperet, sed vir Deo deditus Ariano Episcopo venienti exprobravit ut debuit.*

Resp. Ad 1. Quod ille textus & alii similes tantum loquantur extra mortis articulum; vel in illis circumstantiis in quibus id fieri non posset sine scandalo: aut quando hoc opus erat omittere in occasione in qua talis detestatio hæreticorum necessaria erat pro fidelium confirmatione & hæreticorum confusione. Et idem respondetur ad 2.

Ad 3. Quod ille Episcopus Arianus mitteretur à perfido Patre, ut per communionem illam filius quodammodo confiteretur se Arianæ hæresi consentire. In similibus ergo casibus in quibus sequeretur apparens confessio hæresis, aut gloriatio hæreticorum, non posset moribundus ab hæretico Sacerdote viaticum accipere.



TRAC